

TRACTATUS XIX.
DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

SECTIO I. — DE CENSURIS.

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES.

§ 1. QUID ET QUOTUPLEX SIT CENSURA.

563. DEFINITIO. Censura, in sensu restricto quo hic usurpatur, communiter definitur: poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per potentiam ecclesiasticam auferitur usus quorundam spiritualium bonorum. (Bus. ap. S. Alph. l. 7. n. 1)

Medicinalis poena dicitur censura, quia fertur principaliter in emendationem delinquentis vel criminis cohibitionem. Hinc fit ut, quamprimum reus emendatus est vel satisfecit, censura auferenda sit. Hic character, qui maxime proprius est hujus poenae, non impedit quominus secundo sit etiam *vindicativa* seu lata in punitionem criminis atque ordinis moralis instaurationem. (Ball. P. n. 4) Sed quando punitio criminis principaliter ab auctoritate ecclesiastica intenditur, poena jam desinit esse medicinalis ideoque censuris adnumerari nequit. Igitur censurae *proprie dictae* non sunt suspensiones quae feruntur in perpetuum vel ad tempus determinatum, quamvis aliquae etiam in Bulla *Apostolicae Sedis* inter censuras enumerentur. (n. 618 seqq.) Carent enim praecipuo characterem censurarum, vid. ut ad frangendam delinquentis contumaciam ferantur et, ea cessante, auferendae sint.

Contumax censetur qui, saltem interpretative, Ecclesiae auctoritatem contemnit, quatenus sciens aliquid a legitimo Superiore sub censura

esse prohibitum, illud tamen facere praesumit. (Reiff. in l. 5. Decret. t. 39. n. 14)

Auferitur usus quorundam spiritualium bonorum, non omnium. Multa enim, sicut fidelibus non dantur per Ecclesiam, puta fides, caritas, merita, etc., ita nec ab eadem auferri possunt. Non auferuntur ergo per censuras nisi ea bona spiritualia quorum administratio et dispensatio ad Ecclesiam pertinent. Quaeenam autem sint in specie illa bona quibus fideles per censuras priventur, dicetur ubi singularum effectus explicabuntur.

564. DIVISIO. Censurae essentialiter distinguuntur in *Excommunicationem*, *Suspensionem* et *Interdictum*. Hanc triplicem speciem poenae ecclesiasticae, nullam vero aliam, ad censuras pertinere jam edixit Innoc. III. (Decr. l. 5. t. 40. c. 20) Accidentaliter autem dividuntur:

1° Ratione modi quo feruntur, in censuras latas *a jure* et censuras latas *ab homine*. Priorae sunt quae feruntur per modum legis stabilis ac permanentis: ita enim ingrediuntur jus universale totius Ecclesiae, vel jus particulare alicujus dioecesis ordinisve religiosi. Posteriores sunt quae feruntur tantum per modum transitorii mandati. Id autem duplici ratione fieri potest: vel sententiam ferendo in aliquem hominem determinatum, ex. gr. suspendendo clericum contumacem, vel edendo mandatum quo omnes qui aliquod crimen commiserint aut commissuri sint, censura ligentur. Hinc patet censuram a jure latam perseverare etiam mortuo ejus auctore; censuram ab homine latam jam non incurri postquam ejus auctor vita vel officio cessit. (Vol. I. n. 84), quamvis ligati maneant qui eam antea incurrerint. Sic, mortuo episcopo, perseverant censurae in Synodo dioecesana latae, cessant reliquae. (S. Alph. n. 6)

2° Ratione modi quo incurruntur, in censuras *latae* et *ferendae sententiae*. Priorae eae sunt quae a delinquentibus incurruntur eo ipso quod delictum commiserint; posteriores, quas legislator delinquentibus comminatur ita ut, posito delicto, primum per sententiam judicis sint imponendae. Solent Canonistae (in l. 5. Decr. t. 39) fuisse declarare quomodo e legis tenore dignosci possint priorae a posterioribus. Sed pro censuris hodie vigentibus nulla est difficultas practica agnoscendi num ipso facto incurrantur. Nam censurae latae sententiae in universa Ecclesia vigentes facile hodie cognoscuntur e Bulla *Apostolicae Sedis*, ut n. 579 dicitur, et e paucis documentis hanc Bullam subsecutis; particulares vero censurae quae ab episcopis ferantur, solent exprimi verbis quae nullum dubitandi locum relinquunt, ex. gr. *excommunicationem ipso facto incurrant, sit ipso facto suspensus*, etc. In foro tamen externo, nemo reputandus est censura innodatus, nisi legitime probetur reus

criminis cui censura jure ipso alligata sit. (Bened. XIV, de Syn. l. 10. c. 1. n. 5)

3^o Ratione facilitatis vel difficultatis obtinendae absolutionis, in censuras *reservatas* et *non reservatas*, prout ab iis absolvere possunt tantum pauci, peculiarem auctoritatem habentes, puta Papa, episcopi, etc., vel contra quilibet sacramenti poenitentiae ministri.

§ 2. QUIS POSSIT FERRE CENSURAM ET IN QUOS.

565. I. Censuram ferre potest omnis ac solus Superior ecclesiasticus, habens in fore externo seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam. (Bus. ap. S. Alph. n. 9) (1)

Hinc per se nullam censuram ferre possunt parochi, utpote qui potestate fori externi careant. (n. 67)

II. Potestatem ordinariam (Vol. I. n. 117) censuras ferendi habent praecipue :

1^o Romanus Pontifex pro universa Ecclesia.

2^o Episcopi pro sua quisque dioecesi. Item Concilia provincialia vel nationalia pro sua provincia vel natione. Archiepiscopi vero aut Patriarchae subditos suffraganeorum suorum censuris ligare nequeunt, nisi tempore visitationis, aut ubi causa per appellationem ad eorum tribunal devoluta est. Cfr. Vol. I. n. 87.

3^o Vicarius generalis episcopi vel etiam Capituli, Sede vacante, seu Vicarius Capitularis. (6ⁱ Decc. l. 5. t. 11. c. 7)

4^o Praelati Regularium non tantum generales, sed et provinciales vel locales, nisi contrarium in peculiaribus Ordinis constitutionibus edicatur. Ex iisdem constitutionibus cognoscendum est quatenus eadem facultas competat Capitulis generalibus vel particularibus.

III. Potestatem delegatam ferendi censuras accipere potest omnis et solus clericus seu prima tonsura clericali insignitus, qui non fuerit declaratus incapax jurisdictionis ecclesiasticae, ut declaratum est de clerico conjugato. (6ⁱ Decc. l. 3. t. 2. c. un.)

Hinc, ex jure positivo, talis potestatis accipiendae incapax est laicus. Feminae vero incapacitatem ex ipso jure divino plures repetunt, ex. gr.

(1) Supponimus hic a Dogmaticis demonstratum, Ecclesiae competere jus censuras ferendi. Exponimus tantum quibusnam personis in disciplina vigente competat jus censuras ferendi. Et breviter quidem : quia argumentum proprie ad Jus Canonicum pertinet.

S. Alph. (n. 12); alii tamen, ut Ball. P. (n. 35), probabilius eam soli juri humano adscribendam esse, ideoque facultatem censuras ferendi a R. P. feminae delegari posse autumant. Haec controversia potissimum spectat ad interpretanda quaedam capita Decretalium, ex. gr. l. 1. t. 33. c. 12, quibus videtur Abbatissis concessa fuisse aliqua suspensionis ferendae potestas.

566. IV. In omnes et solos subditos alicui Superiori ecclesiastico ferri potest censura : quia subjectio et jurisdictio sunt correlativae. (Bus. ap. S. Alph. n. 13) Quibusdam tamen exceptionibus haec generalis regula temperatur. Hinc, ut praecipuis dubiis occurramus :

1^o Censuris ligari nequeunt quicumque non sunt facti per baptismum Ecclesiae subditi. (Vol. I. n. 94. II)

2^o *Impuberes*, dummodo sint rationis compotes, censuris ligari possunt. Ecclesia tamen, eorum levitati indulgere volens, regulariter eos ab incurrendis censuris per modum legis statutis eximit. (S. Alph. n. 14) Unam tantum censuram certo hodie incurrunt impuberes, vid. ob violatam monialium clausuram. (n. 599)

3^o *Reges et reginae*, ob speciale privilegium quod consuetudine inductum videtur, nullis censuris ab episcopo cui subsunt, plecti possunt. (S. Alph. n. 16)

4^o *Episcopi et Cardinales* afficiuntur quidem excommunicationibus papalibus, sicut quilibet fideles, nisi specialiter excipiantur ; verum, ex privilegio in 6^o Decc. (l. 5. t. 11. c. 4) contento, nulla lege suspensionem vel interdictum comminante ligantur, nisi specialis eorum mentio fiat.

5^o Cum *peregrini* probabilius non subjiciantur legibus locorum in quibus non contraxerint quasi-domicilium (Vol. I. n. 96), iidem videntur immunes a lege poenali qua censura ab eorumdem locorum episcopis lata fuerit. (S. Alph. n. 27) Nihilominus, si peregrinus commisit delictum contra jus commune Ecclesiae, sortitur forum episcopi illius loci in quo deliquit, et si iustis ejus mandatis parere detrectat, ab eo puniri potest, etiam censuris. Rectus enim ordo postulat ut crimina puniantur ubi commissa sint : ne multa maneant impunita. (Lugo, Resp. Mor. l. 6. dub. 22; Ball. P. n. 56 seqq.)

6^o *Regulares exempti* per se nequeunt ab episcopo censuris coerceri : quod ex ipsa exemptionis notione (Vol. I. n. 97) manifestum est. Attamen, cum omnes Regulares in plurimis punctis auctoritati episcoporum a S. Sede subjecti fuerint, potest episcopus delinquentes circa eadem puncta etiam censuris coercere : qua in re probabilius non agit potestate ordinaria, sed tamquam S. Sedis delegatus. (Schmalzgr. in l. 1. Decc. t. 29. n. 6) Sed quibusdam Regularibus, vid. Mendicantibus et nominatim Soc. Jesu (Const. Pauli III *Licet debitum*, 18 Oct. 1549), concessum est a S. Sede

peculiare privilegium, vi cuius nequeant ab episcopis censura plecti, etiamsi deliquerint circa ea puncta in quibus episcopali jurisdictioni subjecti sunt. (S. Alph. n. 241) Tres tamen casus, in quibus etiam illi specialiter privilegiati Regulares censuris episcopalibus subjecti sint, cum Ball. P. (n. 94 seqq.) et Buccer. (Th. Mor. II. p. 317) excipiendos censemus: *a*) Si, in alienis ecclesiis aut quae suorum Ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. (Const. Gregor. XV *Inscrutabili*, 5 Febr. 1622) (1) — *b*) Si absque approbatione Ordinarii loci praesumant audire saecularium confessiones. (Brevi Innoc. X *Cum sicut accepimus*, 14 Maii 1653) — *c*) Si audeant imagines ab episcopo non probatas publico cultui exponere. (Const. Urbani VIII *Sacrosancta*, 15 Mart. 1642) Censent tamen plures AA. quibus astipulari videtur Piatius (Prael. Jur. Reg. II. p. 11), posse episcopos procedere censuris contra quoslibet Regulares, modo agatur de casibus in quibus R. P. concesserit episcopis vel expressam facultatem utendi censuris vel saltem in genere facultatem procurandae executionis legis aut cogendi et puniendi contravenientes. Sed, etiamsi quis huic sententiae theoretice adhaeret, negare nequit nostram esse practice probabilem et pro foro conscientiae tutam.

7^o Excommunicatio ferri nequit in *integram communitatem* puta Universitatem, monasterium, etc., sed in illos tantum quos reos esse constiterit. (6ⁱ Decr. l. 5. t. 11. c. 5) Suspendio potest quidem ferri in totam communitatem, licet in ea sint aliqui innocentes: hos tamen afficit tantum quoad functiones ipsi communitati qua tali competentes, quales sunt Superiorum electiones, noviciorum receptio, etc. Tandem interdictum integram communitatem afficere potest: nam per interdictum generale non puniuntur innocentes, sed Ecclesia, justas ob causas, sua beneficia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit. (Schmalzgr. in l. 1. Decr. t. 39. n. 45 seqq.)

V. Idem delinquens ligari potest **pluribus censuris**, non tantum specificis diversis (quod per se patet), sed etiam ejusdem speciei, ex. gr. pluribus excommunicationibus: nam vincula moralia, quibus privatio spiritualium honorum inducitur, multiplicari possunt eadem ratione ac peccata mortalia, quorum quodlibet privat gratia sanctificante. Hinc si quis iterat idem crimen moraliter distinctum a primo, cui imposita est censura, totiens censuram incurrit. (S. Alph. n. 116) Applicentur regulae datae Vol. I. n. 164 seqq. de numerica peccatorum distinctione.

(1) Possunt tamen praedicare in ecclesiis alienis sine venia Ordinarii duabus aut tribus vicibus vel ex licentia parochi, ubi religiosus transit per locum in quo non residet Ordinarius. (S. Alph. de Priv. n. 125)

567. VI. **Praelati Regulares** possunt per particularem sententiam censura innodare subditos suos, ubicumque isti versantur, cum jurisdictione eorum sit potissimum personalis. Sed, per modum statuti, censuram latae sententiae imponere possunt tantum intra territorium in quo auctoritatem exercent, ex. gr. provincialis intra provinciam: ne jurisdictionem suam extendant ultra limites sibi praefixos. (S. Alph. n. 20; Ball. P. n. 103)

VII. **Episcopus**, extra dioecesim suam commorans, potest quidem censuram ferre per modum praecepti aut statuti ad futura crimina praecavenda; regulariter vero idem facere nequit per modum sententiae: hic enim est actus jurisdictionis contentiosae, quam extra territorium exercere nequit. (Clement. l. 2. t. 2. c. un.)

Dicitur *regulariter*, quia tres casus excipiendi sunt: *a*) Si contumacia sit tam manifesta ut non indigeat cognitione causae, aut causa jam sit cognita in proprio territorio: nam sic deest ratio prohibitionis. — *b*) Si episcopus sit injuste expulsus a sua dioecesi et petierit, quamvis forte non obtinuerit, licentiam Ordinarii loci. — *c*) Si tum Ordinarius loci, tum partes consenserint ut causa in hoc territorio alieno instruat. (S. Alph. n. 21)

VIII. Subditi, extra suam dioecesim vel in loco dioecesis exempto, puta monasterio, delinquentes, non incurrunt censuram huic delicto ab episcopo suo adnexam. Cfr. Vol. I. nn. 95 et 97. Attamen contrarium dicendum est si delinquens physice quidem extra territorium episcopo subjectum versatur, sed moraliter intra idem territorium deliquisse censendus est. Ita, si lata sit censura in parochum a sua paroecia absentem ultra duos menses, ea ligabitur parochus in alia dioecesi commorans: quia delictum *non residendi* censetur commissum in paroecia. (Schmalzgr. l. c. n. 50)

Ubi vero censura praecepto speciali ad crimen quoddam praecavendum lata est, ex. gr. suspensio latae sententiae intentata clerico ebrioso si iterum tabernam bibiturus ingrediatur, subditus autem extra territorium episcopi delinquit, censura omnino incurri videtur: praeceptum enim ossibus haeret. (Vol. I. n. 84) Censet quidem S. Alph. (n. 23) contrariam quoque sententiam esse probabilem. Sed, cum sententia ista unice nitatur confusione inter praeceptum et statutum, quod reapse extra territorium non obligat, censemus cum Ball. P. (n. 101) veram probabilitatem ei non esse agnoscendam, licet quidam veteres DD. eam tenerint.

IX. Episcopus existens in sua dioecesi potest ligare censuris sub-

ditum in aliena dioecesi existentem pro crimine in propria commisso : secus enim talis delinquens a nemine puniri posset. (S. Alph. n. 22) Non constat vero num censura punire possit subditum qui, nulla speciali sententia praecedente, extra territorium episcopo subjectum deliquit. Probabilius id potest, ut opinantur Laymann (l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7), Ball. P. (n. 102), etc. : quia iudex domicilii reum citare potest, nisi a iudice delicti praeventus fuerit, perinde ac peregrinum in sua dioecesi delinquentem Ordinarius citare potest. (n. 566) Contrarium opinatur S. Alph. (n. 23), ratus id clare edici c. *Ut animarum* (6ⁱ Decr. l. 1. t. 2), in quo tamen agitur tantum de censura quae in antecessum feratur per modum statuti generalis.

§ 3. QUAENAM REQUIRANTUR AD CENSURAM INCURRENDAM.

568. I. Ex parte culpa ob quam censura incuratur, requiruntur, saltem ex Jure universali Ecclesiae et cui omnes Rom. Pontifice inferiores se conformare debent in censuris ferendis, condiciones sequentes :

1^o Ut sit *peccatum grave*. Etenim culpa quae undecumque levis est, neque ob scandalum, periculum commune vel aliam rationem mortalis evadit, non habet proportionem cum censura, quae inter ecclesiasticas poenas gravissima est. Non repugnat tamen Juri naturali vel ecclesiastico, delictum undecumque leve puniri aliqua suspensione vel interdicto ad breve tempus duraturo, neque censuris proprie dictis adnumerando. (n. 563) Hinc patet eum qui committit peccatum de se grave, cui censura adnexa sit, sed ob ignorantiam, passionis impetum, etc. a mortali reatu immunis est, simul etiam a censura excusari. Si vero dubitatur num peccatum cui Superior adnexuit censuram, satis grave sit ad tantam poenam incurrendam, standum est pro auctoritate Superioris (n. 102, III), ideoque et pro censurae validitate. (S. Alph. n. 32)

2^o Ut sit peccatum grave, non tantum quoad actum internum, sed etiam *quoad substantiam operis externi*. Cfr. dicta in argumento simili n. 343. Haec condicio potius ex praxi Ecclesiae quam ex defectu potestatis ad censuram peccato mere interno imponendam, derivanda videtur. (Vol. I. n. 92) Hinc censuram contra haereticos latam non incurrunt qui haeresim actu mere interno committunt, vel aliqua tantum verba proferunt quae non sint de se apta ad haeresim significandam. (S. Alph. n. 34)

3^o Ut peccatum istud sit *opere consummatum*, eodem sensu quo ea condicio requiritur ut casus aliquis sit reservatus. (n. 343) Quare actus imperfecti sub censuram non cadunt, nisi Superior eos diserte hac

poena affecerit. Verba igitur censurae semper stricte interpretanda sunt, neque includendi sunt casus quibus verba adhibita non conveniant sensu omnino proprio. Cfr. dicta Vol. I. n. 112 de interpretanda lege *odiosa*. Hinc excommunicationem canonis non incurrit qui in clericum explodit, sed eum non ferit : quia non habetur actio sub censura interdicta, vid. violenta clerici percussio. Ita etiam mandantes et consulentes ex. gr. episcopi percussorem, non incurrunt censuram, quando effectus seculus non est : quia excommunicatio haec (n. 588. V) praecipue lata est ad impediendam percussorem, ac proinde mandantes et consulentes accessorie tantum in ea comprehenduntur. Probabiliter etiam a censura iidem immunes sunt, quando constat mandatum vel consilium non influxisse in effectum, ex. gr. quia exsecutor jam ad scelus patrandum determinatus erat, vel quando dubium est num ista in effectum influxerint : nemo enim censendus est ligari censuris, donec constet impletas esse omnes condiciones lege positas. (S. Alph. n. 38 seqq.) Attamen censuram incurrunt mandantes et consulentes, etiam effectum non secuto, quando lex fertur principaliter in ipsum mandantem et consulentem, vid. quando impedire vult non tantum effectum, sed etiam in se et ratione sui ipsomet mandatum et consilium. (Ball. P. n. 138 seqq.)

4^o Ut peccatum istud sit *conjunctum cum contumacia*, sensu supra (n. 563) explicato.

569. II. De ordine servando a Superiore qui censuram fert (quod argumentum potius ad forum externum pertinet), sufficit notasse sequentia :

1^o Prorsus necessaria est aliqua *comminatio* censurae incurrendae : nam sine hac comminatione haberi non posset contumacia quae ad censuram incurrendam essentialis est. Haec ratio minime urget quando suspensio vel interdictum imponitur per modum poenae vindicativae : quare in hoc casu nulla requiritur praevia monitio. Neque necessaria est specialis monitio ad incurrendam censuram a Jure vel per generalem sententiam pro avertendis futuris culpis latam : ipsum enim Jus vel generalis sententia, cum publica sint, perpetuo monent ubi aliquid sub censura prohibent. Nihilominus, si Superior vellet authentice declarare aliquem incidisse in censuram a Jure latam, deberet eum citare ut se defendere posset, si forsan causam haberet a censura excusantem : secus hujusmodi declaratio nulla esset, utpote recto procedendi ordini contraria. Excipe casum quo delictum et delinquentis contumacia notoria essent. (Reiff. in l. 5. Decr. t. 39. n. 21 seqq. ; Ball. P. n. 167 seqq.)

2^o Quotiescumque censura fertur per sententiam specialem, is qui eam fert tenetur, juxta c. *Reprehensibilis* (Decr. l. 2. t. 28), canonicam monitionem praemittere. Haec autem in eo est quod iudex ecclesiasticus